

plus solito intumuerat, natando transiens, tandem Deo auspice qui in se sperantes numquam deserit et confundit manus filiorum alienorum, die natalis Beatissimæ Virginis Mariæ cum eis prospere pugnans, supra octoginta eorum millia una acie fudit, et tanquam pecora vilissima totis campis cum fœda strage et multa cæda ultra octo milliaria ante se egit. Triginta millia sunt in hoc conflictu cæsa, octo summi et præcipui vayvodæ et consiliarii, triginta septem duces, barones et officiales, cum aliis mille quingentis nobiles viris capti. Serenissime rex et frater amantissime, hæc illustris et multis sæculis memoranda victoria, ex hostium excubiis fœliciter parta, quemadmodum hostilem audaciam et improbos conatus fregit ac vehementer contudit, ita nobis attulit plurimum consolationis, et comunem omnium tristitiam in amplissimum convertit gaudium. Quam Maiestati Vestræ in primis pro nostro in eam fraterno amore significare volumus; pro comperito namque habemus quod Maiestas Vestra eadem ipsam victoriam, pro suo solito et vere paterno in nos et res nostras affectu, lætissimo et gratissimo animo est acceptura. Et rogamus magnopere Maiestatem Vestram dignetur his nostris et rei christianæ tam lætis successibus una cum serenissimis suis liberis, nepotibusque nostris carissimis, ac universo senato regnorum suorum populisque ac gentibus sibi subiectis lætari, et agere gratias Domino Deo, qui conversus tandem erexit brachium Christi sui et visitare nos gratia sua dignatus est. Jam arcem Dambrovono de manibus eorundem eripimus, speramusque fore, quod brevi Smolensko et reliquis arces nostras dudum amissas recuperabimus, et injurias nobis et subditis nostris illatas ulciscemur. Urgere enim et bello prosequi hostem fidifragum et perjurum, Deo adjuvante, decrevimus, et ne spirare quidem ipsum aut vires colligere patiemur. Qui desperans iam de rebus suis post acceptam tam magnam cladem suorum, ex Smolensko paucis admodum ibi relictis præsidii in Moscoviam fugisse dicitur. Comendamus nos ex animo Maiestati Vestræ, quam una cum serenissimis liberis nepotibusque nostris carissimis, fœlicissime valere desideramus.

Data in castris apud Burisson, 12 Septembris anno Domini MDXIII. Regni nostri anno octavo.

*150 *Exemplum litterarum regis Polonie ad illustrem dominam Helisabetam ejus sororem.*

Sigismundus Dei gratia rex Polonie, magnus dux Lithuanie, Russie Prussiaeque, etc. dominus et

haeres, illustrissimæ principi et dominæ Helisabeth eadem gratia regniculæ Poloniæ germanæ nostræ carissimæ, salutem et fraternis amoris continue incrementum.

Illustrissima princeps et domina germana nostra carissima.

Deo auspice, qui in se sperantes unquam deserit et confundit manus filiorum alienorum, exercitus noster, quod nobis dominiisque nostris et rei christianæ felix faustumque sit, die nativitatis Beatæ Mariæ proxime præterito, octoginta milia Moscovitorum una acie fudit fugavitque, quorum triginta milia sunt cæsa, octo summi et principes et eorum vayvo dae et consiliarii, triginta septem duces, barones et officiales, cum aliis mille quingentis nobilibus capti. Hæc tam illustris ac multis sæculis memoranda victoria, quemadmodum hostilem audaciam et improbos conatus fregit, ac vehementer conterruit, ita nobis attulit plurimum consolationis et comunem, omnem tristitiam in amplissimum gaudium convertit. Quam Vestræ Illustrissimæ Dominationi pro nostra in eam singulari benivolentia censuimus significandum, et significamus; pro comperito namque habemus, quod Vestra Illustrissima Dominatio eandem ipsam victoriam, pro suo in nos et res nostras affectu, lætissimo et gratissimo animo est acceptura. Iam arcem Dambrovono de manibus eorundem hostium eripimus, speramusque fore, quod brevi et Smolensko et reliquis arces nostras dudum amissas recuperabimus, et injurias nobis et subditis nostris illatas ulciscemur. Urgere tamen et bello persequi hostem nostrum, Deo Optimo adjuvante, decrevimus, et nec respirare quidem ipsum aut vires colligere patiemur. Qui desperans iam de rebus suis et post acceptam tam magnam suorum cladem, et Smolensko paucis admodum illis præsidii relictis in Moscoviam fugisse dicitur. Bene valeat Vestra Illustrissima Dominatio, nosque, ut consuevit, in suis orationibus habeat commendatos, et pro nostris tam lætis successibus, ita ut par est, Domino Deo gratias agat. Data in castris apud Borischono feria tertia proxima ante festum Exaltationis Sanctæ Crucis, anno Domini 1514, regni nostri octavo.

Commissio propria Regiæ Majestatis.

Exemplum litterarum Illustrissimi Domini nostri ad Serenissimum regem Poloniæ.

Ex litteris nostri oratoris ex Hungaria, et fama, quæ ipsa rerum amplissimarum certissima nun-